



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallela Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1648

§. 2. De mari Tusco.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13147

men mare Massilicum alij restringunt, alij promouent. Restringunt, qui à Salsulis *Salses* ad ostium Rhodani Occidentalius Sinum Lugdunensem constituunt: promouent, qui eidem oram Genuensē contribuunt, *la coste de Gennes*, & in Etruriam vsque producunt. Ac proinde Leoninus Sinus respondebit Antiquo Sardo Eratosthenis, atque Polybij.

§. 2. De Mari Tusco.

TUSCVM mare nominatur quicquid à Sardinia Melitam *Malte* vsque porrigitur, & ab Italis *Mar de Tosco*, vel *de Toscana* dicitur, ab celeberrimâ regione quam alluit. Non meminit huius Maris Breuæus, sed ex eius variis dictis colligitur. Effunditur vsque ad Africam, seu Barbariam, ibique versus Occidentem ad Prom. Bonum vulgò *Bon*, dicitur ORA BISERTINA, & TUNETANA, *de Biserte*, & *de Tunis*. Exinde ORA TRIPOLITANA, *la coste de Tripoli*, ab vrbibus nominatissimis huic littori adiacentibus. Versus Italiam retinet commune nomen, nisi in Sinubus, *de Caiete*, *de Naples*, *de Salerne*, *de Polycastro*, *de sainte Euphemie*, de quibus in recente Italiâ.

§. 3. De Sinu Veneto.

SINVS VENETVS, *le Golphe de Venise*, totum hoc completitur, quod intercurrit, inter Melitam Inf. & Pro. S. Ioan. Baptistæ in Occidentibus Cretæ, longoque tractu in urbem Tergesten infunditur. Non diffiteor tamen in Tabulis Magini accuratissimis hoc mare iterum tripliciter diuidi, & superiorem partem quæ terras subit versus Venerias dici, *Golpho di Veneriâ*, *le Golphe de Venise*, seu *Mare Adriatico*. cuius pars à Pro. S. *Maria de Lenca*, olim *Iapygia*, & Pro. *de Languetta*, olim *Acrocerauniorum* excursus, vocatur hodie, *la Bocca del Golpho*, *la Bouche du Golphe*: partem autem inferiorem dici, *Mare Gionio*, voce à veteri Ionio detortâ: reliquû denique versus Africam, *Mare Africo* nuncupari. Taceo hîc de orâ à môte Gargano ad os Sinus, quæ dicitur *Mare di Puglia*, ab Apulia cuius nomen iam intercidit in recenti diuisione, sicut & de Sinubus *de Larta* olim *Ambracio*, *de Patras* olim *Corinthiaco*, & aliis de quibus in Græciâ. Denique intelliges totum hoc mare in Tabulis quibusdam *Mare Græcum* appellari.